



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alied



Σὺν Θεῷ.

PROBLEMA

VTRVM LIBRI BIBLICI OMNES CVM OMNIBVS SVIS PARTIBVS, PROVT IN vulgata latina editione habentur, pro Canonicis suscipiendi sint;

Quod

Moderatore

REVERENDO AC CLARISSIMO VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO, S.S. Theologiae Licentiato, & in Academia VVitenbergensi Professore publico,

Contra Pontificios,

Ad disputationem quartam in Collegio studiosorum Theologiae privato Cal. Octob. habendam proponit

M. JOACHIMUS PRAETORIUS Lunenburgensis.

Respondente

SAMVELE I TEANDRO Lunenburgensi.

VVITEBERGÆ

Typis viduae Matthæi VVelaci M. D. V C.





REVERENDIS, CLARISSIMIS,
DOCTRINA, VIRTUTE AC
multo rerum usu præstan-
tissimis viris:

Dn. IACOBO FABRO S.S. Theologiæ Doctori & Po-
meranarum in Ducatu Sedino Ecclesiarum Su-
perattendenti vigilantissimo,

Dn. FRIDERICO RUNCIO S.S. Theologiæ Docto-
ri, Ecclesiæ, quæ est Stetini, Cathedralis Pastori,
& ibidem in illustri Pædagogio Professore dignis-
simo,

Dn. DANIELI CRAMERO, S.S. Theol. Licentiato,
eiusdem Ecclesiæ Coadiutori, & Pædagogii istius
etiam Professore fidelissimo,

Dominis & Meccænatibus suis amicis omni
reverentiâ & honore perpetuûm colendis,

Propositiones hasce theologicas,

D. D. D.

M. Ioach. Prætorius Lunaburgensis.



THESES THEOLOGICÆ,
DE DISTINCTIONE
LIBRORVM BIBLICO,

rum in Canonicos &
Apocryphos.

I.



*Verbum DEI scriptum,
ex cuius ministerio depende-
re aternam hominum salu-
tem iam antè irrefragabili-
ter evictum est, perpetuò ini-
quis fanaticorum spirituum
velis expositum fuit: quorum
alijs necessarios & utiles li-
bros præscindere & exstirpa-*

*re; nonnullis non necessarios, minusq; utiles quàm perni-
ciosos obtrudere & legitimis associare; quibusdam uti-
les quidem, sed non ad fidem confirmandam idoneos
Canonicis codicibus æquiparare & accensere male sanus
arsit animus.*

2. *Primæ classis maior est numerus, quàm ut sin-
gulis enumerandis propositum nostrum par sit: aliquos
solum tetigisse sufficiet. Sadducei solum pentateuchum
Mosis agnoverant, quem Ptolemæa respuerunt. Ma-
nichæi, Saturninus, Marcion, Cerdoniani Severiani to-
tum vetus testamentum; Nicolaitæ & Gnostici sacrum
Psalmorum volumen: Simon, Prophetas: multi Ecclesi-
astem & Canticum Canticorum repudiarunt. Similiter*

A 2

novum

novum Testamentum suos expertum est expilatores: Cerdon & Marcion solum Lucæ Evangelion: Valentini, Iohannis receperunt: Alogiani vicissim omnia Iohannis scripta reiecerunt, Ebionæi solum Matthæi Evangelium venerantes, Paulum legis Apostatam difformarunt: Severiani, acta Apostolica: Marcionite Epistolæ ad Timotheum, & Titum: Alij Epistolam ad Philemonem reprobarunt. Suensfeldiani demùm & Liberitini hisce omnibus & propè Ethnico cœtu sceleratiores, cuncta Dei monumenta tam nova quam vetera aspernantur.

3. Secundæ classis sunt, qui plura quatuor receptis numerarunt Evangelia, utpote Thaddæi, Thomæ Apostoli, quod utuntur Manichæi, Barnabæ, Bartholomæi Apost. Andreæ Ap. Item, qui ediderunt itinerarium Petri Ap. quod adpellatur S. Clementis, Pastorem sive librum Hermetis, Epistolam ad Laodicenses, Actus Teclæ & Pauli Apost. Revelationes Pauli, Thomæ, Stephani, &c. Quorum Catalogus prolixus exstat in parte prima decretorum Canoniconum distinct. 15. cap. 3.

4. Sed quoniam pleriq; illorum miranda Dei providentia suomet ipsi more precipites ivère, & Dei gratiâ, Ecclesiis nostris negocij parum vel nihil facessunt de istis erroribus hac tempestate non differemus: Verùm cum Socijs duntaxat tertie classis, qui nobis licem morvent de ijs libris, qui hodie in Ecclesia legi consueverunt, & in vulgata, quæ Hieronymo nuncupari solet, Latina Bibliorum cautione continentur, agemus.

ῥητ & μὲν οὖν!

5. in quaestione itaq; vocatur: Utrùm libri illi integri cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata

gata

gata Latina editione habentur, pro Canonicis suscipiendi sint.

ἐκθεσις τῶν δίδουμένων.

I. τῶν ἡγερμένων.

6. Libri isti quinam sint, tum ex veteri illa editione omnibus obvia, tum ex decreto primo concilij Trident. sess. 4. innotescunt, cui ordine longo, ne cui dubitatio suboriri possit, qui ab ipsa synodo suscipiantur, ascripti sunt.

7. Quid verò per partes intelligatur, interpretes est Bellarminus, inquit: Quorsum addit concilium illa verba (cum omnibus suis paribus) nisi ut omnes intelligant: eas etiam partes, de quibus aliquando controversia fuerat, ad sacrorum librorum Canonem pertinere? puta, supplementa Danielis & Esthera, item Baruch, &c. Tom. 1. lib. 1. c. 7.

II. τῶν ἐπιερμένων.

8. Sunt sacri libri, qui Canonici vocantur, non quasi per Canonem fortè concilij alicuius sua illa fuerint auctoritate donati; (Tanta enim potestatis nullum est inter mortales coactum concilium, neque ullum usque eò audacia & temeritatis processisse, indicium superest) sed adpellatione è sacris petita, quod sint norma fidei & regula intellectus nostri, καὶ τῶν ἐκθέσεως ἢ γνώσεως ἀληθείας, ut Basilius loquitur. Sic enim Paulus ad Galat. 6. v. 16. suum, quod et Christi est, dogma nominat, adserens: Quicumq; secundum hanc regulam [τῶν κανόνων τούτων] incedent paxerit super eos. Item, Eadem incedite regulam, si Phil. 3. v. 16. de Canone. Et Psal. 19. v. 4. Apostolorum doctrina, hebraea voce κανὼν dicitur, quae idem notat: metaphora ducta ab architectura: quod enim Architecto artificio est Canon sive perpendiculum & amussis, id Architecto Spi. 1. Cor. 3. v. 10. quali, qualem se Paulus profitetur, est S. Scriptura.

A 3

Et

9. Et quidem hic sacrorum librorum Canon ex pre-
 Deut. 31. v. 9. scripto & mandato Iehova à Mose constitui cœpit, qui
 scriptam à se legem sacerdotibus filijs Levi, & omnibus
 senioribus Israel tradidit, & populo exponendam iussit.
 Exod. 40. v. 20. fit, tandemq; in arcam fœderis deposuit. His scriptis
 Moisaicis aliorum postea θεοκνεύσω libri accesserunt.
 Ios. 24. v. 26. Sic Iosua scripsit verba sua in volumine legis: Samuel
 1. Sam. 10. v. 25. ius regni in libro descriptum collocat coram Iehova.
 Similiter Propheta alij revelationes suas consignarunt:
 Esaias 30. v. 8. Ierem. 36. v. 2.
 10. Atq; ad hunc Canonem examinata postmodum
 sunt omnia scripta, dicta facta: Sicut Esaias 8. v. 20.
 dicitur: Ad legem & testimonium. Si quis non dixerit
 secundum verbum hoc, non erit eis matutina lux. Idq;
 a 2. Chron. 37. v. 9. (a) Iosaphat (b) Ezechias, (c) Iosias, exemplis suis declar-
 b Ibid. c. 31. rant & stabilierunt.
 v. 21. 11. Deniq; hunc Canonem adeò veneratus est Chris-
 c Ibid. cap. 35. stus ipse, ut frequentissimè sua ad illum revocarit do-
 v. 4. gmata: Ioh. 5. v. 46. Si crederetis Mose, & mihi credere-
 tis. Ipse enim de me scripsit, Luc. 24. v. 27. &c. Eodem
 Act. 26. v. 22 modo Paulus corà rege Agrippa protestatur, se nihil un-
 Act. 3. v. 13. quàm dixisse extra ea, quæ propheta ac Moses predixerunt.
 & seqq. Petrus etiã & reliqui Apostoli suas conciones prophetico
 Sermoni analogas & conformes esse passim inculcarunt.
 12. Quemadmodum verò scripta Prophetarum, qui de
 venturo Messia vaticinati, in canonem recepta sunt, sic
 monumenta testium Messie exhibiti ad eundem referri
 iustū fuit: quales precipuè à Christo selecti sunt duode-
 cim Apostoli & D. Paulus Gentium Doctor. Hi etenim non
 1. Pet. 1. v. 12. minus quàm propheta, per Spiritum S. evangelizarunt.
 13. Horum itaq; testimonia quæq; ipsi approbarunt scrip-
 ta, ceu preciosum depositū, iure amplexa est, et in gremio
 suo fovit primitiva Ecclesia, eaq; ad posteritatem non si-
 ne

ne contestatione transmisit ut tanquam γρηγορια, κανονικα
& καθολικα Apostolorum scripta sancte conservarentur.
14. E quibus elucet, Libros Canonicos esse, quibus
doctrinam Prophetarum & Apostolorum contineri Ec-
clesia nunquam dubitavit, qui cum fidei amissum, in-
xia quam Spiritus, an ex Deo sit, probandus, tum vite
methodum, qua pie incedendum est, prescribunt.
15. Atq; simili ratione Patres de libris Canonicis senserunt,
distinguentes hosce ab Apocryphis, qui pari auctoritate
non pollent, quod occulta & dubia ipsorum origo sit. Hes-
n. (Ruffinus ait) legi voluerunt in Ecclesiis, sed non pro-
ferri ad auctoritate ex his fidei confirmandi. Et Hieron.
Hec (apocrypha) legit Ecclesia ad adificationem plebis non
ad auctoritate Ecclesiasti oru dogmatu confirmandam.
16. Sunt itaq; libri Apocryphi, quos Ecclesia non ad robo-
randa fidei dogmata, sed ad vite morumq; institutio-
nem proponere consuevit, unde alio nomine Ecclesiastis-
ci & Didascalici dicuntur.
17. Tertium libroru genus adiungunt Euseb. & Hieron.
nempe adulterinos & plane falsos, tum ratione sui, tum
ratione originis, qui nunquam ab Ecclesia recepti sunt.
18. Haud vero dissimulandum est, uti Canonicam sic A-
pocrypham adpellationem in Patrum scriptis homonyma
mam deprehendi. Interdum enim lato significato sub
Canonicis accipiuntur etiam illi codices, qui morum
duntaxat informationem spectant, eo quod horum exi-
stant Canon & regula: Quo sensu Augustinus ea usus
est lib. 2. cap. 8. de doctrina Christiana.
19. Sic Apocryphi nonnunquam ampla significatione
notant falsos & adulterinos: ut Hieron. in prefatione
in Evangelistas loquitur. Apocryphorum narias mortuis
magis hereticis, quam Ecclesiasticis vivis canendas. Sed
missis ambiguitatibus de libris Canonicis & Apocryphis
proprie & stricte sic dictis quaesitum esto. 810-

Διότι μὲν τὸ ἑκτετακτικόν.

20. *Quaeritur esto utrum in vulgata editione Bibliorum latina omnes libri cum omnibus suis partibus Canonici sint, an verò ex his nonnullos Apocryphis annumerare conveniat.*

21. *Prius pontificij amplectuntur, & secus statuentes anathemate terrent: Nostrates posteriori suffragantur, & inania bruti illius fulminis terriculamenta floccipendentes, prius improbant.*

Dec. 1. conc.
Irid. sess. 4.

22. *Sunt verò libri, qui à nostris apocryphi censentur, in veteri Testamento: Liber Sapientiae, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, libri Maccabaeorum; una cum scripto Baruchi & fragmentis Estherae ac Danielis.*

23. *In novo Testamento Epistola ad Hebraeos, secunda Petri, duae posteriores Iohannis, Epistola Iacobi & Iudae, Apocalypsis.*

24. *Atque hos libros non esse Canonicos, verùm apocryphos, primùm solidis argumentis (pro methodo recepta) κατασκευαστικῶς monstrabo: & post ostensis absurditatibus contrariae opinionis, brevem eiusdem ἀνακτικῶν subiungam.*

κατασκευῆς.

Locus I.

Eph. 2. v. 20. 25. *Superstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.*

Eph. 3. v. 5. *Item: Mylterium Christi alijs aetatibus non patefactum fuit filijs hominum, ut nunc relectum est sanctis eius Apostolis & Prophetis per Spiritum.*

Rom. 1. v. 2. *Paulus segregatus est ad praedicandum Euangelium, quod antè promiserat per Prophetas in Scripturis sanctis.*

Mysteris

Mysterium à temporibus seculorum absconditum,
nunc manifestatum est omnibus gentibus per scriptu- ROM. 16. v. 26.
ras Propheticas.

26. Ex multis hisce unicum solummodo adducam
Syllogismum: Vera Ecclesia edificata est super funda-
mentum Prophetarum & Apostolorum, quibus tantum
& non alijs mysterium Christi patefactum est.

At libri recensiti non sunt Prophetici, neq; Apo-
stolici.

Ergo super illorum fundamentum Ecclesia non e-
dificatur.

Et vi consequentis: Libri isti non sunt Canonici.
Hi etenim definiuntur, quod sint, quorum fundamento
fides & sic quoque Ecclesia nitatur,

27 Maior propositio ex citatis locis patescit.

Minor ut tantò distinctius & rectius confirmetur,
seorsim primùm de libris V. Testamenti: deinde de N.
T. libris agamus.

28. Initiò apud utramq; partem in confesso est, post
restorationem templi secundi Hierosolymitani prater
Haggæum & Malachiam Prophetas nullos excitatos esse
se; imò ad Iohannem Baptistam usq; Seculis interce-
dentibus, omnem Prophetiam desuisse.

At verò libros istos, (precipue Syracida & Macca-
beorum) post transactam illorum etatem exaratos esse,
historiarum tenor dicat.

29 Idem porro lingue idioma & characteres Pro-
phetis insolentes & peregrini arguunt. Lingua enim
Prophetica, Hebraea est. Isti verò libri pleriq; gracè, alij
alia lingua scripti sunt.

30 Quam rationem Hieronymus suo testimonio et- Hier. in pro-
sam suffulcit, inquit: Hic prologus scripturarum, qua- logo galeato
si galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebraeo ad Paulinum.

B

verti-

verimus in Latinū, convenire potest, ut scire valeamus,
quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum.

31 Denique id ipsum clarescit hac ratiocinatione:

Omnis Scriptura Prophetica est θεόπνευστος.

At nulli ex dictis libris sunt θεόπνευστοι.

Ergo neque Prophetici.

32. Maior hisce confirmatur dictis: πάντων ἡγεσθὶ θεόπνευστος. Item: Locutus est Deus à seculo per os omnium S. suorum Prophetarum. Et rursus: in Prophetis fuit Spiritus Christi.

2. Tim. 3.
v 16.

Act. 3. v. 21

1. Pet. 1. v. 11

2. Pet. 1. v. 21

Quibus succurrit illud: Non ex voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt S. Dei homines.

33. τὸ λαβόμενον succinetὰ ἐπαγωγῆς & inspectione singulorum librorum manifestum evadet. Nam primò Librum sapientiae, qui Salomoni ascribitur, ipsius non esse, linguae peregrinitas evincit. Si enim Salomon eius autor esset, utiq. Hebraicè in lucem prodisset. Atqui iam omnium confessione Graecè editus est, & quidem à Philone, ut Bonaventura in Comment. libri huius statuit. Vixit autem iste Philo tempore Apostolorum & Caligulae, homo non Christianus, de quo proverbium est: ἢ πλάτων ἢ Ἰλῶν, ἢ Ἰλῶν ἢ πλάτων, unde & Philo Platonius adpellatur. Humana itaque sapientia conflatum esse librum istum palàm est.

Liber sapien-
tia.

34. Ecclesiasticum, non esse θεόπνευστον, multis ipse prodit indicijs; Praefatio enim libri suggerit, vixisse hominem temporibus inferioribus post omnes Prophetas, qui maxima ex parte ab avo & Parente suo, cum aliorum sapienter dicta congerere, tum sua meditata adijcere consuetis volumen istud acceperit. Deinde laborem, studium & vigiliis numerat, qua in hoc libro edendo impenderit: ac demum veniam à lectoribus petit, sicubi facultate

cultate quarundam vocum destitutus fuerit: Quae omnia ab hominibus Spiritu S. afflatis, & per quorum os Iehova locutus est, alienissima sunt.

35. Accedit, quod nonnulla facti & vere religionis canoni contrariantia adferas. Tribuit enim Pythonissa quod Samuelem mortuum ad vivos revocavit, qui è terra vocem extollens Sauli obitum & exitium pronuntiavit. Sic haud obscure cap. 48. v. 10. ex inveterata (a) Iudeorum opinione (b) Malachiae vaticinium interpretatur de Elia illo (c) qui curru & equis igneis in caelum fuit transvectus, quod tanquam erroneum refutat Christus exponens de Iohanne Baptista, Matth. 11. v. 14. Item v. 11. Angelus Gabriel, Luc. 1. v. 17. cap. 46. v. 23
a Matth. 17. 10
b c. 4. v. 5
c 4. Reg. 2.
v. 11.

36. Libri duo Macchabæorum, similiter à Spiritu S. autore profecti esse nequeunt: Siquidem in fine secundi libri, Autor eodem modo, ut Syracides humana imbecillitati ignosci cupit, si non assecutus fuerit, quod intendit. Deinde plenum ait hoc opus esse sudorum & vigiliarum, queriturq; de molestia in Epitomen contrahendi quinque libros Iasonis Cyrenæi, qui citra controversiam apocryphi sunt. In calce libri primi continuatio historiae Iohannis, de sermonibus, bellis & strenuis factis eius suspenditur et refertur ad Chronica, quae itidem apocrypha sunt, & à canone aliena. Hæc verò singula in Dei Spiritum minimè quadrant, ut cui nihil factu grave, nihil molestum: qui neque ab alio materiam petere, neque ielam suam humano spiritui pertexendam tradere consuevit. Libri Macchabæorum.
cap. 2.

37. Præterea ἀποκρυφῶν sunt inter se hi libri de obitu Antiochi Epiphaniæ, & Iudæ, de templi purgatione, &c. & non pauca ἀθεόλογα continent, de sacrificio & oratione pro mortuis, de sacro igne, tentorio, arca, altari suffitus. lib. 2. c. 12.
v. 43.

38. Libri Tobia & Iudith potius comedias sive pœmas
 ta sacra quàm historias representant; Siquidem verita-
 ti canonica per omnia haud consonant. Liber TOBIAE
 quibusdam tenebris ex deportatione relictis offusus est,
 quoniam cordi & epati piscis tribuit vim magicam abi-
 gendi Spiritum malum, & adfirmat Daemonium ad o-
 dorem accensi epatis fugisse in partes superiores Aegyp-
 ti, ubi angelus ipsam ligavit. Deinde Angelo men-
 dacium imputatur, à quo uti Deus & angeli eius sancti
 immunes sunt; ita nusquam eis adscribitur in libris
 Canonicis. Præterea hic angelus dicitur unus ex septem
 illis angelis, qui referunt preces sanctorum; quo quid
 inconvenientius in Deum et angelos contra scriptura
 canonem fingi potest? Qui enim aurem fecit, & cæ-
 lum terramq; implet, annos ipse audiet, num angelo-
 rum indicio egebit? Iure igitur Hebraei (quos in hoc ne-
 gotio sequimur) hunc librum de catalogo divinarum
 scripturarum secuerunt; ut Hieronymus testatur in præ-
 fatione eius.

39. Autoritas libri IUDITH ad roboranda illa,
 que in contentione inveniunt, etiam minus idonea iu-
 dicatur: quandoquidem haud credibile est, si horum ali-
 quid in Iudea contigisset, ut id ipsum, præcipue cum ad
 eò eximium & celebre sit, non Hebraicè in Ecclesia con-
 signatum fuisset, aut à Iosepho diligenti rerum Iudai-
 corum præcone silentio præteritum. Dein, quia in eo pu-
 gnantia quedã cum historiã Mosis admiscetur. Nam in
 prece Iudith adseritur, quòd Deus Simeoni tribue-
 rit gladium ad ulciscendum sororem Dinam vitiatam à
 Sichem; facinusq; ipsum encomijs extollitur: quod con-
 tra à Spiritu S. Genes. 49. v. 5. & seqq. reprobatur: Pro
 ira (inquit) occiderunt viros & pro arbitrio avulserunt
 boves; Maledicta ira eorum (Simeonis & Levi) quia
 vehe-

vehemens: & furor eorum, quia factus fuit Βουλογία
in super ex historiarum classe librum eximit, quoniam
ceteris historijs, quomodocunque tempora ista supputentur,
repugnat. Hac & eiusmodi alia librum hunc θεόπνευσ-
σορ esse pernegant.

40. De libro Baruch et adiectionibus Danielis &
Esther, quoniam veluti superiores Apocryphi, lingua
Propheus familiari non exstant, simile iudicium fieri
par est: praesertim cum phrasis & stylus cum Canonicis
scriptis neutiquam conveniat, & non pauca ἀόυσια
in illis contineantur.

41. Liber BARUCH in epistola Hieremiae ^{γεγενῆσθαι} Baruch.
sive Generationis vocem pro duobus lustris accipit, quae cap. 6. v. 2.
bis in toto V. Test. vocabuli istius usus non est. Alibi
Chaldaeos igne incendisse Hierosolymam narrat, cuius cap. 1. v. 2.
rei nusquam aliud adparet vestigium: taceo quod ἀπο-
πορ multis videatur: Etenim posito, Baruchum quinto
anno à Iechoniae reditu in Babyloniam missum esse (ut
ex Jerem. 51. v. 59. quibusdam videtur) utiq; septem
pluresve annos Hierosolymam arsisse consequeretur ex
2. Reg. & 2. Chron. & postremis Hieremiae capitibus.

42. Supplementum Esther, quod septem postremis Fragmentum
capitibus constat, à vero libro Esther, idiomate & cha- Esthera,
ractere aliud est, temerè multa ex prioribus reponit, &
non raro in veram historiam impingit. Nam principio
non conveniunt tempore, quo Eunuchorum vita regis
insidiantium technae à Mardocheo aperta fuerunt: cap.
2. v. 16. illud anno septimo, sed cap. 11. v. 2. & cap. 12.
v. 1. anno secundo contigisse memoratur. Deinde cap.
12. v. 5. annotatur Regem precepisse, ut Mardocheus in
aula ministraret, eiq; donaria dedisse ob indicata insi-
diatorum consilia: at cap. 6. v. 3. dicitur, non ei colla-

Item c. 5. v. 2. tum esse quicquam. Sic c. 15. v. 7. & 11. $\alpha\sigma\upsilon\mu\phi\omega\upsilon\iota$ sunt.
Literæ demum cap. 1. descriptæ argumento multum
discedunt ab ijs, quæ 8. cap. exstant, &c.

Supplemen-
tum Danielis.

43. Adiectiones in Daniele, quæ non Hebraicè, ve-
rum græcè leguntur, non esse Propheta illius fide & au-
toritate plenissimæ, multa fabulosa, quæ admixta sunt,
commonstrant. Quis enim Indeos captivos Babylone
Magistratum gessisse, & præcipuè iudicia capitalia ex-
ercuisse credet? non credens qua argumenti specie per-
suadebitur? Id verò sola Susanna historia (alioquin
pia) simpliciter narrat. Quis Prophetam Habacuc, qui
dudum ante Nebucadnezaris aetatem floruit, hinc redi-
vum Danieli prandium detulisse confidet? siquidem al-
terius, qui eiusdem fuerit nominis, Propheta Scriptura
nusquam meminerit.

44. Constat igitur libros istos sex unà cum scripto
Baruch & additamentis Estheræ ac Danielis non esse
 $\theta\epsilon\omicron\tau\omega\upsilon\sigma\omicron\varsigma$, & ob id neq. Canonicos; sed rectè in Apocry-
phis censeri. Verùm $\delta\epsilon\ \epsilon\upsilon\omega\omicron\gamma\iota\omicron\varsigma$ locum unum & alte-
rum adhuc subijciam.

Locus II.

45. Luc. 16. v. 29. Habent Moysen & Prophetas,
hos audiant.

Ibid. 24. v. 25. O amentes & tardi corde ad creden-
dum omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.

v. 27. Exorsus Christus à Mose & omnibus Pro-
phetis interpretabatur illis, in omnibus Scripturis,
quæ de se scripta erant.

v. 44. Oportet impleri omnia, quæ sunt in lege
Mosis Prophetis & Psalmis de me.

Act. 26. v. 22. Paulus ait: Testificor parvis &
magnis, nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophe-
tæ ac Moyses futura prædixerunt.

Inde

46 *Inde sic ratiocinari iuvat:*

Quibus scriptis, Christi & Apostolorum doctrina nititur, ea sola in V. T. sunt Canonica.

Sed scriptis Prophetis ea solummodo nititur.

Ergo scripta Prophetica in V. T. sola sunt Canonica.

47 *Maiores satis sua luce splendet: Nam scripta, quibus non perhibet Dominus testimonium ut suis, & quorum auctoritate Apostoli verentur stare, extra canonem esse, nullum est dubium.*

Minor ex sententijs sum hoc, tum primo loco adductis perspicua est.

48 *Quare libri illi sex & fragmenta, quae iam antequam ex Prophetarum choro exempta sunt, nequaquam Canonica erant.*

Locus III.

49 *Rom. 3. v. 2. Iudaeis credita sunt eloquia Dei.*

50. *Hinc ita ratiocinor: Eloquia Dei, quaecumque, scilicet per os sanctorum Prophetarum annunciata sunt, apud Ecclesiam Israelis deposita & ab ipsa recepta sunt.*

At libri dicti non sunt ab Ecclesia Hebraea recepti.

Ergo non sunt Prophetici, neque Canonici.

51. *Maiores partim ex allegato manifesta est, partim ex eo, quod nusquam à Christo vel Apostolis reprehendantur Iudaei ob reiectionem aliquorum librorum, cum alias frequentissime de perversis scripturarum interpretationibus & corruptelis taxentur.*

Minorem & Patrum & adversariorum confessio illustrat & stabilis.

Sic

Sic enim Bellarminus: Hi libri simul omnes reijciuntur
Tom. I. lib. I. ab Hebrais, ut B. Hieronymus testatur in prologo Geo-
sap. 10. leato.

Locus I V. à consensu Patrum.

52 Euseb. lib. 5. Origenes Athanasius in Synopsi. Hilarius in prologo
cap. 25. Psalmorum, Cyrillus in $\tau\epsilon\tau\rho\alpha\tau\eta\chi\eta\varsigma$, Nazianzenus in Car-
minibus de genuinis script. eodem sensu omnes enunci-
ant: Canonicos V. T. libros viginti duos esse, literis He-
braicis numero pares. Sediti historiam Ruth, libro
Iudicum, ac Threnos Hieremie, eiusdem vaticinijs an-
numerant: qui libri si seorsim accipiantur, numero vi-
ginti quatuor erunt.

53 Totidem numerant ipsi Hebraei, dum libros sacros
in tres partes dividunt: in legem, quae constat $\tau\omega\tau\alpha$
 $\tau\epsilon\tau\omega$ Mosis: in Prophetas, quorum alios adpellitant pri-
mos, puta Iosuaam, Librum Iudicum, Samuelis et Regum;
alios postremos, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem &
duodecim Prophetarum codicem, qui vulgò dicuntur
minores: & in $\alpha\gamma\omicron\upsilon\gamma\epsilon\alpha\phi\alpha$, quae sunt, Paralipomena,
Psalmi, Proverbia Salomonis, Iob, Ruth, Ecclesiastes,
Threni Hieremie, Cantica canticorum, Esther, Daniel,
Esdra.

54. De memoratis libris idem sentit Ruffinus in ex-
plicatione symboli Apostolici, & porro subiit: Scien-
dum tamen, quòd & alij libri sunt, qui non Canonici,
sed Ecclesiastici à Maioribus adpellati sunt: Sapientia
Salomonis & Syrach, liber Tobie, Iudith, Machabeo-
rum.

55. Sed ne Pontificij auctoritatem Ruffini in dubi-
um vocent, subiungam Hieronymi consensum, in quo
illi acquiescunt; veluti Ius Canonicum testatur: Illa
sentimus

sentimus (inquit) que B. Hieronymum sentire cognoscimus & non solum de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sepius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit.

Hic verò idem sentit cum Ruffino, ut videre est ex ipsius prologo galeato ad Paulinum, & horum librorum prefationibus, que antea etiam sunt adducta. Ergo, &c.

56. Tantum de libris V. Testamenti. Nam de cæteris, quales sunt, Oratio Manassis, tertius & quartus liber Esdra, tertius & quartus Maccabeorum, Psalmus centesimus quinquagesimus primus, Appendix lib. Hiob, &c. quoniam confessione etiam adversariorum Apocryphi sunt, nihil attinet hoc loco disceptare.

Restat ut libros N. Testamenti ponderemus.

57. Liquidum est, præ reliquis ex dicto iam antè ex Epistola ad Ephesios citato, (Superstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum) eos N. Testamenti libros tantummodò ad Canonem spectare, qui auctoritate Apostolica gaudent. Eph. 2. v. 20

58. Sicut enim in V. T. nulla nisi Prophetarum scripta ad volumen legis adiungebantur: ita in N. T. Apostolorum duntaxat monumenta istius maiestatis merito æstimantur, quæ Prophetarum oraculis accenseantur.

Isti enim indusi virtute ex alto & repleti Spiritu S. designati sunt testes Christi, usq; ad extrema terra, sicut & Paulus, Act. 26. 16. ut citra dubium scripta ipsorum à Spir. S. inspirata, ἐνωμὸν ἠλεκτα, & omni exceptione maiora sint: unde Paulus: Nobis ea retexit Deus per Spiritum suum. Luc. 24. v. 49
Act. 2. v. 4.
Act. 1. v. 8.
1. Cor. 2. v. 10.

59. Etsi verò D. Marcus & Lucas Evangelista non defuncti sunt munere Apostolorum: eos ipsos tamen Spiritu S. baptizatos esse, fidosq; Apostolorum Parasta-

tas & comites, imò socios & comites individuos fuisse, ex Coloss. 4. v. 10. & 14. Item, ex 2. Timoth. 4. v. 11. colligimus.

60. Cum igitur viri illi sancti Apostolos comitati sint & assidue auscultarint, utiq; ex ipsorum tanquam dicentium ore Evangelia sua consignasse adparet, ut ita fidelissimorum amanuensium operam Apostolis collocarint.

61. Huic sententiae suffragari videntur, qui statuerunt Paulum notasse Evangelium Lucae, quando inquit: *Secundum Evangelium meum.* de quibus Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Quin etiam Nicephorus scribit, Marcum Petro dicente Evangelium suum exarasse.

Rom. 2. v. 16.

2. Tim. 2. v. 8

lib. 2. c. 45.

62. Adde quod D. Iohannes haec Evangelia visa ac relecta, suo Calculo approbavit, & tanquam Canonica receperit, haud dubie non sine peculiari Spiritus S. mandato, ut tum oculati, tum auriti Evangelicarum historiarum testes exstarent.

63. De actis Apostolicis, quae D. Lucae ascribuntur, simile indicium esto. Cum enim minor fides adhiberi à mortalibus soleat suamet recte gesta praedicanti: idcirco Spir. S. placuisse videtur, ut ab alio teste illustri, & Apostolicis testimonijs ornato haec ipsa congererentur ac divulgarentur.

64. Reliqua N. T. monumenta, quae quidem in vulgata illa editione habentur, omnia Apostoli alicuius titulum praeseferunt. Ambigitur verò de nonnullis, an iuste ac legitime titulo isto fruantur, uti de Epistola Petri secunda, duabus posterioribus Iohannis, de Epistola Iacobi & Iuda, item de ea, quae est ad Hebraeos, & Apocalypsi Iohannis.

65. Id verò non solum quod ab autorum, quibus attribue-

tribuantur, stylo dissonare, videantur, & nonnulla, nisi ad scripta indubitata Canonica referantur & explicentur, duriora contineant; Verum præcipue, quia non reperta sint prima Apostolica Ecclesie certa & consentientia de hisce testimonia, quod ipsorum sint, vel ab ipsis unquam comprobata fuerint. Quæ etiam causa fuit, ob quam orthodoxi succedentis Ecclesie Patres, de eorum autoritate non modo dubitarunt, sed disceptarunt, desperarunt.

66 Eusebius lib. 3. cap. 25. Scripta quæ non habentur pro indubitatis, sed quibus contradicitur, licet multis sint cognita, hæc sunt; Epistola Iacobi, Iudæ, posterior Petri, & altera cum tertia Iohannis.

Apocalypsin Iohannis quidam reprobant, quidam certis & indubitatis scripturis adiudicant. Idem lib. 3. cap. 3. Non est ignorandum, quod quidam in Rom. Ecclesia Epistolam ad Hebræos reprobarunt adserentes contradici quasi non sit Pauli. Idem Origines, Hieronymus, Tertullianus & alij astruunt.

67 Ex quibus manifestum erit, quapropter à nostratibus nominatæ Epistolæ Apocryphæ iudicentur. Quamvis enim uti in primitiva Ecclesia, sic & hodie, maior autoritate polleant Test. Novi, quam veteris scripta apocrypha; non tamen eodem prorsus cum Canonicis & ὁμολογῶντες gradu collocanda sunt: quoniam non solum ad morum instructionem, sed etiam ad fidei probationem concurrant & iuvent; id verò non πρῶτως, sed δευτέρως, ut non incommode hæc Deuterocanonica, illa Protocanonica vocari posse videantur.

68. Missis autem ratiunculis, quibus in utramq; partem de horum librorum autoribus litigari assolet: eius modi argumento sententia nostra constabit.

69. Libri, de quibus antiqua Ecclesia, utrum Apostolici essent, dubitavit, eò quòd primæ Apostolica Ecclesia testificationibus carerent, non sunt in N. T. Canonici.

At de libris nominatis eo nomine in antiqua Ecclesia dubitatum fuit.

Ergo non sunt Canonici.

70 Maior Augustini testimonij plana est, qui contra Faustum Manichæum lib. 33. cap. 6. multis eam demonstrat, ex quibus paucula satis erit notasse: In literis (inquit) secularibus, sub clarorum autorum nominibus, postea multa prolata sunt, & ideò repudiata, quia vel his, quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerent, vel eo tempore, quo illi scripserunt, nequaquam innotescere meruerunt. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumq; eiusmodi autorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sunt, nisi temporum sibi met succedentium contestatione continuâ, &c.

71 Et Paulò post: Ecce istas literas, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus quisque has neget meas, unde convincitur? nisi quia illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longè etiam post futuros continuatis posteriorum successionibus traiciunt.

Quæ cum ita sint, quis dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traicerent. Idem lib. 28. cap. 2. Et lib. 11. cap. 2.

72 Minor ex supra adductis plana est. Multùm etenim de autoritate librorum istorum in veteri Ecclesia dubitatum ac disputatùm fuit: ut Bellarminus etiã diffiteri nequit, lib. 1. cap. 4. Quare nobis prætoriam istam autoritatem sumere de dubijs hisce libris decisivam sententiam dicendi, minimè omnium conveniet.

Ac

73 Ac manet ita firmum fixum, recensita illa se-
ptem N. Testam. Scripta esse Apocrypha. Quibus ad-
structis, breviter ἀνασκευῶν subjiciemus.

ἀνασκευῶν.

Argumentum primum.

74 Si omnes libri in vulgata editione Latina com-
prehensi pro Canonicis suscipiendi sunt: consecrarium
est, Spiritum S. mutabilem esse, & contraria suggerere.
At secundum ἀθεόλογον & blasphemum in Spiritum
sanctum.

Ergo & primum.

75. Connexum hypotheticum ex superioribus sta-
bile est: Nam demonstratum fuit, plerosq; libros, qui
Apocryphi nobis censentur, praesertim V. Testamento
annumeratos, tum sibi mutuo contradicere, tum Cano-
ni & analogia fidei reluctari: Si igitur istorum libro-
rum omnium Spiritus S. fuerit autor, ut certè omnium
Canonicorum est: irrefragabiliter absurdum illud ab-
surdissimum consequetur.

76 Assumptum perspicuum: Nam Spiritus sanctus Iob. 16. v. 13.
Deus est, qui non mutatur, & veritatis Spiritus est, du-
cens nos in omnem veritatem. Contraria verò non pos-
sunt simul esse vera.

Argumentum II.

77. Si libri isti omnes sunt Canonici, etiam ἀνθροπο-
πνευστα erunt Canonica.

At consequens ἀντίλογον est indubitatis Aposto-
lorum scriptis.

Ergo & Antecedens

78. Nexus consecutionis iterum firmus est exinde,
C 3 quod

quod, nonnulla ex scriptis illis non θεόπνευστα, sed huma-
nae sapientiae & industriae opuscula esse, prius ostensum
fuit.

2. Tim. 3. v. 19 79. τὸ λαβόμενον etiam ex ante citatis dictis pate-
scit: Totā scriptura θεόπνευστα est, &c.

Argumentum III.

80 Si omnes illi codices in vulgata editione numerati
hodie sunt ἐπιδικαστοὶ & Canonici, utiq; prae-
ter auctoritatem Prophetarum & Apostolorum, citraq; conscientem
antiquitatis testificationem à posterioribus & ab origi-
ne illa sanctissima longè remotis Ecclesiis in Canonem
recepti erunt. At posterius prae-ter ἁρετικῶν redolet
tyrannidem Antichristianam.

Ergo & prius.

81 Vis consequentis perspicua est. Nam antè proba-
tum fuit, quosdam ex dictis libris neq; Prophetica & A-
postolica auctoritate, neq; indubitata Ecclesiae primitiva
testificatione munitos esse.

82 Assumpti prius membrum, quod nempe ἁρετικῶν
sit, hac ratiocinatione clarescit.

Si Apostoli, qui θεόπνευστοι fuerunt, suam doctrinam
ad Prophetarum scripta exegerunt; utiq; impium est, in-
ferioris conditionis homines citra θεόπνευστων & peculi-
are Dei mandatum, extraq; scripturam & Apostolica
Ecclesiae testificationem, libros aliquos authenticos ac ca-
nonicos pronunciare & constituere.

Sed prius verum. Ergo & posterius

83 Connexum & Assumptum per se lucidissima sunt.

84 Secundum membrum assumpti hac ratione probatur.

Qui se effert super Deum: & sedet in Ecclesia tan-
quam Deus, ille est filius perditionis, Antichristus.

At statuens aliquid prae-ter Prophetarum & Apo-
stolorum

stolorum auctoritatem, efferri Se super Deum ipsum.

Ergo

85 Maior desumpta est ex 2. Thes. 2. v. 4.

Minor vera est: Quandoquidem Deus fuit, qui locutus est, per os omnium suorum Prophetarum: Et Apostoli loquentes, non fuerunt qui locuti sunt, veram Spiritus Dei. Horum igitur auctoritate, qui obstringi recusant, Deo ipsi recalcitrare, quis non videt?

Act. 3. v. 21.

Matt. 10.
v. 20.

86 Unde etiam palam est, quid de Pontifice R. sentiendum, qui non modo libros illos Biblicos, de quorum auctoritate Prophetica & Apostolica D. Patres dubitarunt Canonicos efficit: Verum etiam anathemate ferit, si quispiam Leonis Papa Epistolam ad unum iota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter susceperit, &c.

par. 1. dist.
15. cap. 3.
Iuris Canon.

87 Demonstratum itaq. fuit, quosdam libros tam in Nouo quam in veteri Testamento esse Apocryphos. & decretum illud concilij Tridentini primum sess. 4. quo omnes libri Biblici, prout in veteri vulgata Latina editione habentur, Canonici pronunciantur, esse falsum & Antichristianum, utut anathemate obsignatum sit.

Dominus anathema illud in verticem impij illius retorquet, eumq. citò illustri adventu suo aboleat.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

8

Main body of faint, illegible text, appearing to be a list or series of entries.

Bottom section of faint, illegible text, possibly a concluding paragraph or signature.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatiōnes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd p hoc vocab. Turca significantur
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad locū dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuiā rāone sit repri-
mendū. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista gentilitas sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōne idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



Σὺν Θεῷ.
PROBLEMA
VTRVM LIBRI BIBLI
CI OMNES CVM OMNIBVS
SVIS PARTIBVS, PROVT IN
vulgata latina editione haben
tur, pro Canonicis suscipiendi sint;
Quod
Moderatore
REVERENDO AC
CLARISSIMO VIRO, DN. IO
HANNE GEORGIO VOLCKMARO, S.S.
Theologiae Licentiate, & in Academia VVitenber
geni Professore publico,
Contra Pontificios,
Ad disputationem quartam in Collegio studiosorum
Theologiae privato Cal. Octob. haben
dam proponit
M. JOACHIMUS PRAETORIUS
Lunenburgensis.
Respondente
SAMVELE I TEANDRO
Lunenburgensi.
VVITEBERGÆ
Typis viduae Matthæi VVelaci M. D. V C.

